

Videns hoc dominus papa, quod aliter stare non posset, benedixit gladium predicto duci, quod bellum pro eo intraret, et hoc sibi cum suis pro omnibus peccatis injunxit, ut sibi fideliter resisterent. Iniens bellum predictus dux, auxiliante Domino contra filium imperatoris triumphavit et eundem cum suis captivavit. Tunc imperator ad concordiam et pacem se reformavit ad gratiam domini pape. Deinde dominus papa largitus est talem gratiam monasterio S. Marci: Quod omnis qui ingreditur ante ascensionem Domini viij diebus, quocienscumque intraverit, habebit c annos et septimam partem de omnibus peccatis indulgenciam. Et in vigilia ascensionis Domini incipit talis indulgencia, quod omnis qui confessus et contritus monasterium S. Marci intraverit, absolvitur a pena et a culpa, et per octavam predictam indulgenciam, c annos videlicet et septimam partem omnium peccatorum meretur consequi. Et predictus sanctus pater papa Alexander III. consecravit monasterium S. Marci eodem die, et addidit indulgenciam que sicut harena non potest dinumerari. Et cetera.

Unmittelbar darauf folgen ganz kurze Annalen:

Anno ab incarnatione Domini 30. baptizatus est Christus.

Item 31. decollatus est beatus Johannes baptista.

Item 34. crucifixus est Christus et Stephanus lapidatus est.

Item 36. Paulus de celo vocatur.

Item 48. Claudius numerari fecit cives Romanos et inventi sunt sexagies novies centum milia et 44.

Item 57. Nero primam persecucionem exercuit.

Item 69. Petrus crucifigitur, et eodem die Paulus decollatur.

Item 101. Johannes ewangelista obdormivit in Epheso, anno a passione Domini 68.

Item 249. Phylippus primus imperator christianus regnavit.

Item 431. Augustinus obiit.

Item 604. Gregorius papa sanctissimus obiit.

Item 1012. sanctus Cholomannus passus est.

Item 1216¹⁾. beatus Franciscus expletis viginti annis migravit ad Christum 4. Non. Octobris.

Item 1230. Leupoldus dux Austrie obiit.

Item 1246. Fridericus dux Austrie occiditur.

Item 1260. ibant homines et percuciebant se cum flagellis, nudos utriusque sexus.

Anno Domini 1278. 7. Kal. Sept. occiditur inclitus rex Bohemie Otacharus a Romanorum rege Rudolfo.

Anno Domini 1308. in die apostolorum Phylippi et Jacobi occisus est Albertus rex Romanorum, dux Austrie, a patruuele suo duce Johanne. Unde versus:

Bis quingentorum . C . triplex Octo suorum
Al. Romanorum rex sternitur ense Swevorum
Phylippi festo: miserator ei Deus esto.

1) So geschrieben: M^o. xii^o. xvj^o.